

AN. quid is fecit? *GE.* confutavit verbis admodum iratum senem.

AN. eu Phormio! *GE.* ego quod potui porro. *AN.* mi Geta, omnis vos amo.

15 *GE.* sic habent principia sese ut dico: adhuc tranquilla res est,

mansurusque patruom pater est dum huc adveniat. *AN.* 480
quid eum? *GE.* ut aibat,

de ei(u)s consilio sese velle facere quod ad hanc rem attinet.

AN. quantum metus est mihi videre huc salvom nunc patruom, Geta!

nam per eius unam, ut audio, aut vivam aut moriar sententiam.

20 *GE.* Phaedria tibi adest. *AN.* ubinam? *GE.* eccum ab sua palaestra exit foras.

ii PHAEDRIA DORIO ANTIPHO GETA

PH. Dorio, 485
audi obsecro . . . *DO.* non audio. *PH.* parumper . . .

DO. quin omitte me.

PH. audi quod dicam. *DO.* at enim taedet iam audire eadem miliens.

PH. at nunc dicam quod lubenter audias. *DO.* loquere, audio.

PH. non queo te exorare ut maneat triduum hoc? quo nunc abis?